

Alte Drucke

Opera

ANGELI || POLITIANI || OPERVM || TOMVS PRIMVS. || Epistolarum libros XII. ac
Miscellaneorum || Centuriam I. complectens. || Indicem rerum memorabilium
calci || operis adiecimus. ||

Poliziano, Angelo

Antverpiae, 1565

Angeli Politiani Epistolarvm Liber Octavvs.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:hbz:ha33-1-155013

ANGELI POLITIANI
EPISTOLARVM
LIBER OCTAVVS.
VVS.

ANGELVS POLITIANVS
Innocentio octauo Pontifici
Maximo S. D.



VM Romæ abhinc triennium ferme in comitatu essem Florentinæ legationis, quæ tibi sancte pater Innocenti Pontifex Maxime, ad supremæ istius dignitatis fastigium nuper euecto gratulatum aduenerat, memini abs te mihi magna celebritate curam delegari vertendi in Latinam orationem Romanorum principum res gestas, si quæ adhuc inter Græcorum monumenta nostris intactæ hominibus reperirentur. Quare cum celestis animi tui iudicio, non plus mihi honoris additum, quàm oneris iniunctum animaduertērem, vt primum Florentiam sum reuersus, altissima sollicitudine circumspicere cœpi, quem potissimū ex omni Græcorum copia interpretandum susceperem. Occurrit autem in primis Herodianus hic, excellens rerū scriptor: & qui diu in Palatina versatus aula, affectuq; iam ætatis historiam de suis temporibus componere aggressus, neque eloquentiæ caruerit laudibus, & fidem tamē in primis, libertatēq; retinuerit. Hoc ubi opus à nobis, neque multo sanè negotio, neq; inuita (vt arbitror) Minerva elucubratum est, ea mox tempora inciderūt, quibus & nostra impedirentur studia, & quæ plurimum valet in scribendo, omnis propemodum alacritas excuteretur. Postea verò quam pro tua prouidentia & pa-

Herodianus historiographus.

cem

sem Italiae cupienti reddidisti, & cū patrono meo Larentio Medice amplissima quidem fortune, sed amplioris ingenij, prudentiaq; viro priuatim affinitatem contraxisti, cessit videlicet ille quasi nimbus, suaque mundo reddita serenitas est: sic vt nos iam ipsos colligamus, atque vt grauati pluuia flores, penēque decidui, ad nouae lucis radios erigamur. Ergo & vetera edere in publicum, & noua producere iam libet: vnde aliqua modò vel tuo sacratissimo nomini celebritas, vel nostris temporibus claritas, vel studiosis etiam hominibus utilitas pariatur. Ceterum Herodianum hunc nostrum donec maiora tibi, ac fortasse meliora parturimus, veluti praeludium aliquod veri, iustiq; laboris leta, rogamus, frōte excipias summe Pontifex. Magnam in eo negotiorum, personarumq; varietatem, multā rerum nouitatem deprehensurus: crebraq; in vtrunque partē fortune ceu vacillantis exempla, consiliaq; admirabilia, & consiliorum inopinatos euentus, grauesq; pro tempore sententias, & plenam vbique dignitatis, plenam suauitatis orationem copiosam videlicet quandā ad instruendos mores superlectilem, & ceu speculū humanitatis, in quod inspicere omnis vita, vnde ea capere, atq; haurire documēta queat, per quae vel publicis, vel priuatis rationibus cōsultatur. Quae sane nostrae fuerūt partes tētauimus profectò, vtināq; etiā effecerim⁹, vt omnia ex fide responderēt, ne inepta peregrinitas, ne Graecule vsquā figura, nisi si quae iā pro receptis habētis, Latinā quasi polluerēt castitate, vt eadē propemodū esset linguae vtriusq; perspicuitas, eadēq; mūditiā, idē vtrobiq; sensus atq; indoles, nulla vocū morositas, nulla anxietas. Tu quando nobis aliud quod ceu signū ex arce istatui pōtificatus ad bene sperandum sustulisti, perge obsecro sanctissime pater, per-

ge, inquam fouere, atq; illustrare bonas artes, quæ sese pedibus istis sanctissimis aduoluunt supplices, numenq; tuum aduersus rudem inscitiam, tetramq; Barbariam implorant: vt à quo pax Italia, atq; adeò terrarū orbi restituta est, etiam ab eodem pacis alumne litteræ ab iniuria scilicet, atque indignitate vindicentur.

INNOCENTIUS PAPA VIII.

dilecto filio, Angelo Politiano.

DILECTE fili salutē, & apostolicam benedictionem. Librum quem nuper ad nos misisti, ē Græco in Latinum traductum, gratissimo animo accepimus: tum propter rei nouitatem, tum quòd doctrina, & ingenio ita cultus est multorum iudicio, quos apud nos doctos habemus, vt bibliotheca nostræ magnum sit ornamentum allaturus. Gratias tibi propterea maximas agimus, virtutemque tuam in Domino commendamus: hortantes idem in posterum facere perseueres, vt his honestis laboribus maiorem in dies tibi laudem parias, & à nobis vberiore gratiam promerearis. Nunc verò in signum tam grati animi, quàm amoris nostri erga te paterni, ducentos aureos per dilectum filium Ioannem Tornabonum ad te mittere decreuimus, vt eo vitæ præsidio facilius huiusmodi labores subire queas. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub anulo piscatoris, die xvi. Augusti. M. CCCCLXXXVII. Pontificatus nostri anno III.

INNOCENTIUS PAPA VIII.

dilecto Laurentio Medici.

DILECTE fili salutem, & apostolicam benedictionem. Agimus deuotioni tuæ gratias, quòd eius potissimū opera dilectus filius Angelus Politianus, vir eruditissimus librum ē Græco in Latinū traductum nuper ad nos misit,

rit, nostro nomini dedicatum: non solum nostro, verum
etiam aliquorum peritorum, quibus illud ostendimus,
iudicio maxime commendatum. Erit apud nos (ut de-
cet) in magno honore, bibliothecae nostrae ornamentum,
virtutis, ac doctrinae illius testimonium. Hortamur te
maxime eundem Angelum auctoritate tua promoveas
ad huiusmodi opera edenda, quae non vulgarem sibi glo-
riam parient, & nobis delectationem maximam affe-
rent: cui tam honestis laboribus partim in beneficijs,
partim in alijs rebus dignam mercedem collocabimus. Et
nunc in huius animi testimonium, ducentos aureos per
dilectum filium Ioannem Tornabonum illi mittere decre-
uimus, ne hic liber in donatus remaneret. Datum Ro-
mae, apud sanctum Petrum sub anulo piscatoris, die xvi.
Augusti M. CCCCLXXVII. Pontificatus nostri an-
no III.

ANGELVS POLITIANVS

Innocentio Octauo Pontifici

Maximo S. D.

NESCIO quibus verbis gratias tibi agā sanctissime
pater Innocenti, summe Pontifex, qui tā multis laudibus
vigiliolas nostras, tāq; ampla liberalitate prosequaris.
Quod ego factū sibi interpretor, voluisse beatitudinem
tuā huiusmodi exēplo iacentes olim litteratorū ani-
mos erigere: cum videlicet intellegāt tantā esse in Pon-
tifice maximo nostris tēporibus humanitatem, tantāq;
beneficentiā, ut nūc postremus quidē, atq; infimus illius
ordinis, non dicam in laudatus, aut inhonoratus, sed ne
vacuus etiā munerū, atque in donatus dimittatur. Mihi
sanē calcaria, & stimulos cum in me collatae laudes, tum
praesens quoque, & sperata benignitas subdiderūt, ma-
ximāq; iniecerunt curam cauendi etiam atque etiā, ne

quod

quo vel tēpore, vel casu liberalitate ista, indulgentiāq;
tua videri indignus quēā. Quocirca curabo, atq; enitar,
vt hic noster tenuis agellus, cui scilicet colēdo tantū in-
strumenti tua nunc munificētia suppeditat, nouos subina-
de prouentus tuæ afferat sanctitati. Spero autē fore, vt
quādiu sub vmbra tui numinis recubuerō, ita ab omnib;
vel incōmoditatibus, quas vita humana fert, vel lāguor-
ribus, molestijsq; exoluar, vt ab vmbra apostoli Petri
cuius tu locū in isto fastigio obtines, omni prorsus a gri-
tudine homines liberabantur. Valeat tua sanctitas. Flo-
rentia, pridie Kal. Septēb. M. CCCCLXXXVII.

ANGELVS POLITIANVS

Innocentio octauo Pont. Max. s. d.

ET SI me pudor prohibet hominem tenuis fortunæ,
nulliusque propemodum auctoritatis, litteras dare ad
te Dei Maximi vicarium, principemque generis huma-
ni: tamen in tanto vel priuato meo, vel publico totius
nostræ ciuitatis gaudio, facere non possum, quin tester
apud te summe Pontifex Innocenti subitum hoc ani-
mi gaudium, profitear letitiam, gratias agam priuato
quoque nomine tuæ sanctitati, quod adulescentem no-
strum Ioannem Laurentij filium, Florentinæ Reipu-
blicæ delicias, tuorum numero fratrum, summiq; Sena-
tus collegio adoptaueris: quod ciuitatem florentissi-
mam, familiāque nobilissimam, tam insigni munere,
tānque eminenti dignitate cumulaueris. Tum gratulor
etiam tibi, quod hæc acerrimi iudicij cōstantissima fide,
propē immortalem ceteris tuis egregijs virtutibus glo-
riam conciliaueris. Vt enim Laurentium ipsum taceam,
quem tibi in perpetuum, sancte pater, beneficio isto
tanto deuinxisti, quid ipso tandem Ioanne Cardinali
nostro perfectius? aut quid omnibus numeris absolutius?

Ioannes
Medices
Cardina-
lis creat⁹,
hic po-
stea Leo
x. Pont.
Max.

Non

Non indulgebo amor meo, non tuo iudicio blādiar Pon-
 tifex, nota cunctis, & testata loquar. Ita natus, & fa-
 ctus, ita altus, atque educatus, ita deniq; eruditus, atque
 institutus hic est, vt nemini secundus ingenio, nec æqua-
 libus industria, nec præceptoribus litteratura, neque
 grauitate senibus concesserit. Natiua in eo probitas, &
 genuina, diligentia quoque parentis ita impensè culta
 est, vt ex illius ore non modò non verbum dictu scēdus,
 sed ne leuius quidē vnquā, aut etiā licentius excideret.
 Non actio, non gestus, non incessus in illo notatus, non
 aliud postremò, quod in deteriore partē conspiceretur.
 Sic in viridi etate cana maturitas, vt qui loquentem se-
 nes audiāt, proauitā in eo, nos paternā certē indolē ag-
 noscamus. Cultum pietatis, & religionis penē etiā cum
 lacte nutricis exuxit: etiā tum ab incunabulis sacra me-
 ditatus officia, quādo nondum editum eum, tamen eccle-
 sie iam genitor prouidētissimus destinauerat. Protinus
 autē quā est in lucem susceptus, multis, magnisq; præ-
 sagijs in hanc erudiri spem cœpit. Et quoniam tale de se
 specimen dabat, vt istius iam tum virtutis faceret fidē,
 compulsus fama Ludouicus ille Francorum sapientissim⁹, Ludouic⁹
 mus, idēque sanctissimus rex, ne summi quidem archi-^{Francorū} rex,
 episcopatus fastigio indignum hunc ipsum planē adhuc
 puerum est arbitratus. illum tu igitur habes regem col-
 late istius dignitatis prælusorem. Telam rex maximus
 exorsus, quam Pontifex maximus pertexeret. Audires
 vtinam voces fausta tibi nunc, & prospera ominantis
 Florentini populi. Aspiceres gestientem vbique, & cō-
 cursantem in atrijs nostris, ac letitia suæ impotentem
 ciuium multitudinem, plebēque ipsam vix gaudium ca-
 pientem animis. Non senes grauitas, non matronas pu-
 dor, non pueros infirmitas ab officio retardat. Confluūt

in aedes Medicas sexus, etasq; omnis, omnis huc ordo
 (vt ad priuatas necessitudines) properant. Pro se quisq;
 primi haurire oculis aspectum noui Cardinalis festi-
 nant, exultant, vociferantur, manus ad celum tendunt:
 propitium tibi Deum, prospera, secundaque omnia cō-
 precantur. Pro tua vel salute, vel dignitate vota pro-
 fus ab omnibus suscipiuntur. Nec est quod annos, ac na-
 tales Cardinalis nostri numeretis, virtus illi ante diem
 contigit. Ne dubita pontifex, implebit vtique augustam
 purpuram. Non sub galcri pondere anhelabit, non sul-
 gore caligabit nimio, non indecorem eum tanto senatui,
 non imparem tanto fastigio recipies. Iam nunc ampla
 maiestas, iam solito maior species. Constat ratio colle-
 gis lati suffragij, nec te vnquam summe pontifex iudi-
 cij penitebit. Hoc tibi nomine (quod vnum valeo) gra-
 tulator, agoque gratias. Quos aliquando pedes istos bea-
 tissimos præsens osculabar, iisdem nunc illis absens lati-
 tiae plenus aduoluor. Deumque precor, vt te diu tuo
 perfrui beneficio gaudeamus, vt prospera incepta pro-
 sperrimi consequantur euentus. Quod autem ad me at-
 tinet (quando non alia pro animo meo facultas est) dabo
 operā certē quandiu vires suppetent, vt istiusmodi tua
 benefacta sanctē pater in omnem posteritatem sempiter-
 na litterarum memoria propagentur.

ANGELVS POLITIANVS

Iacobo Cardinali Papiensi s. d.

NON possum facile explicare litteris, in quantā nos
 admirationem adegerit Laurentius Medices, patronus
 meus, testimonio laudū tuarum. Nam etsi illæ quidē vno
 omnium consensu maximæ semper, admirabilesq; prædi-
 cantur, & virtutis tuæ constans opinio in omnium pe-
 ctoribus viuuit, omnium linguis celebratur: tamē cum Lau-
 rentium

rentium Medicæ (id quod sæpenumerò accidit) de te lo-
 quentē audio, cū te mihi totum (vt dicitur) atque in-
 tegrū in oculis constituit, proculdubio intellego pristi-
 nam illam de tuis virtutibus famā parciſſimam ſanctibi,
 minūſque benignā fuiſſe. Exiſtimabā equidē antea Pa-
 pienſis gloriā in otio tantū, litteriſque conſiſtere, cāq;
 per ſe ſatis amplam, atque mirificam in principis animo
 ſtatuebam: alteram verò partem, quæ in rerum agenda-
 rum uſu, & ratione verſatur, etſi haud omnino ademe-
 ram, non tamen vt propriam tibi, peculiarēque adſcri-
 pſeram. Ecce nunc Laurentij teſtimonio, in vtriuſque
 gloriæ ſplēdore maximus nobis, admirabilisque exore-
 ris, & tanquam Homericus Aſteropæus dextra pariter,
 ac ſiniſtra manu iaculum intorques. Caue autem putes
 me tibi nunc hiſ laudationibus aſſentari. Teſtor enim
 meum in te animum, ac fidem, nihil me aliud ſcribere:
 quā quod ſentio: atque omnem gloriā, quantacunque
 ea ſit, tua virtute inferiorem exiſtimare. Neque ego
 hæc de te ipſo ad te ſcribere auderem, niſi incredibilis
 meus erga te amor, ea mihi ex intimo corde, ex ore, e ca-
 lamo, quaſi ſuo iure extorſiſſet. Idem quoque ipſe &
 Homerum noſtrum, quem tu à Laurentio petieras, &
 meum ad te animum vno tempore pertulit. Hunc quidē
 velim Papienſis in tuum ſinum placidē ſuſcipias: dignus
 eſt enim, quando tuus eſt, in quem omne genus humani-
 tatis, ac beneuolētiæ profundas. Homerum verò noſtrū
 ſeminadum quidem adhuc, atque inuolucrum, ardētibus
 iudicij tui radijs aduerſum ſtatuiſſimus, perinde atq; aquilæ
 lam ferunt implumes pullos, & nuper calido ex ovo pulli.
 prolatoſ oriētī ſoli obijcere. Quod ſi ille intrepidus ad
 tuum radium, non conuiuenti pupilla ſuffiget intuitum,
 referemus cum in nidum, & vt legitimū ſetum educa-

Rheni
fluij in-
genium.

bimus. Sin verò oculorum acies offensa perstringetur,
veluti alienū, ac nothū exponemus. Aut tutè ipsum ma-
gis tanquam Musarum hostem projice, & in profluentē
aliquem demerge. Erit enim perquam gratum nobis, si
Rheni fluij ingenium imitaberis: quem quidem ferunt
pusillos Celtarum infantes intra suum sinū cōiectos, si
quidē polluta matris pudicitia suscepti fuerint, tanquā
impuri lecti vindicē, rapidis vorticibus suffocare: quos
autem senserit legitima setura editos esse, placido ala-
ueo leniter suspendere, atq; in trementes genitricis ma-
nus iterum subuchere, salutem pueri quasi intemeratae
pudicitiae testimonium ferentem. Remittas ergo item tu
quoque Homerum nostrum vagientem quidem illū, atq;
infantem in complexū solliciti parentis, si ea tibi esse in-
dole videbitur, quae & spei tandem nostrae responde-
rit, & exquisitissimo iudicio tuo faciat satis. Sin minus,
aut Thetidi, aut Veneris largire marito. Vale, Musarū
patrone, & animulum istum meum in delicijs habeas,
rogo.

IACOBVS CARDINALIS PAPIEN-
sis Angelo Politiano, & Nicolao
Michelotio S. D.

AEQVO animo feretis ambo, si vacui temporis raro
aliquid habens, serò atq; vna tantum epistola vtriq; re-
spondeo. Legi translationem tuam, Angele, diligenter sa-
tis pro otij copia. Querenti quid sentiam, promptius est
quod respondeam, quam quod bene responderi posse ab
indocto confidā. Vos me esse aliquid creditis, ego infra
opinionē vestrā sum multum. Si quid olim huc attuli lu-
cis, infuscatum id est tenebris curiae. Paupertas dudum,
nunc dignitas, diuersa à primis institutis coegerunt tra-
ctare. Antyba successit ambrosiae, et gustui ingluuies: tam
malè

malè nunc possum de oratorijs, & poëticis iudicare, q̃
ineptè de musicis capri auribus iudicant. Ne desim tamē
expectationi vestræ, accipite, quod beneuolētiae potius
q̃ retentæ discipline sit signum. Oratio tua, quātum re-
metior, præterita, Latina est, & illustris, vt huic com-
mendationi addi possit. Pleni etiam versus & suis nume-
ris magnificè auribus seruientes. In tam recenti ætate,
laudis, & admirationis hæc sunt. Neq; ego susceptum la-
borem inutilem puto. Ad ediscendum Homerum perti-
net, ad alendum grandibus spiritum, ad ea tandem susci-
pienda, in quibus nostro gradu, non alienis vestigijs in-
cedere habeamus. Homerum tamē si quis roget, num La-
tinum fieri se velit, versumq; versui reddi, vereor ne vi-
dens transmarina multa inter Græcos quàm nostros sen-
tiri: lingue porro cuiusq; suam excellentiā esse, quā vix
in aliena est assequi: deniq; barbā menti nec Latinū pla-
nè arguere, nec Græcum referre: inquam vereor, ne re-
spondeat malle se Colophonium, quàm Florentinum ha-
beri: & pallium, quàm togam Græcis membris aptius
conuenire. Tum eorum iudicium laudet: qui magno inge-
nio præditi, cū diffiderēt eundem reddi posse nostris,
qui est apud suos, maluerunt imitari quàm vertere. Cen-
seo tamen (vt dixi) operam inchoatam non deserendam,
hocque exercendi styli studium colendum assiduò, à ve-
teribus quidem laudatum, & ad complendum pectus
maximè necessarium. Si non assequēris, quod vis, rei non
finit magis, quàm nostræ facundiæ inopia: æqualis tui
Phæthontis laudem inuenies, vt idem de suscepto à te
cælesti Homero, quod ab illo de cælesti curru dicatur:
Hunc si non tenuit, magnis tamen excidit ausis. Meum
hoc est, vt imprudens fidele tamen de labore tuo iudi-
cium. Traductionem ipsam remitto, vt petis, & tibi gra-

tias ago. Te verò in meum suscipio tam altè amorem cō-
dens, quàm altè descēdit admiratio virtutis insolitæ. Est
iam tuus Papiensis, tibi que in stadio litterarum currētī
vocibus secundis acclamat, vt pergas, vt non fatigeris,
vt calcem ipsum contētis oculis spectes, & huic palme
nil anteferendum existimes, viuenti, ac mortuo profutu-
ræ. Ad te vertor Micheloti. Attende quid agas, in bona
tua videris iniurius. A is cœpisse te ipsum amare, mox vt
à me amari es cœptus. Si nullum est iudiciū meū, te autē
ex meo amas iudicio, non sentis sine caussa tuum de te ip-
so esse amorem? Atqui magnæ sunt caussæ, quibus te ip-
sum existimatione propria debes diligere: ingenium lit-
teræq; humanitatis, ad obsequium dexter modus, in pri-
mis Laurentij nostri fides, & gratia, quando Principis
bus placuisse viris, nō vltima laus est. Quare caue post-
hac ex meo magis, quàm tuo iudicio ipsum te ames: Pa-
piensi etiam hætenus tribuere, vt eius beneuolentiam
ex dignitate, non meritis ornamento tibi esse existimes.
De Balducio gratias habeo, quotidianis officijs tuū ani-
mum probas. Hunc ego, quòd solus Florētiae ex omnibus
necessarijs est, commendo liberius, & benignius accipi
cupio. Tua diligentia reliqua absolue, & me ama: inq;
amicorum rationarium, non inter postremos relatum te
scito, fixum etiam cordi trabalibus clauis. Vale. Roma,
Kalend. Ianuar.

ANGELVS POLITIANVS ASCANIO
Sfortiæ Vicecomiti Cardinali S. D.

DIV, multumq; fateor dubitavi, an ad te principē, do-
minumq; excellentē homo in finē sortis, humilisq; fortu-
næ litteras darem. Quippe à scribendo me magnitudo
deterrebat tua, quasiq; radijs quibusdam nostræ aciem
mentis perstringebat. Contra autem experta mihi huma-
nitas,

nitatis, clementiâque vt aliquando scriberem adhortabatur. Nimis autem stultum videbatur, cum tunc mihi auctor audendi fueris, pati siue metu quodam intempestiuo, siue pudore subrustico nostri apud te memoriam exolescere. Meministi, arbitror, venire ad te aliquando visum, salutatiunque vnâ cum Laurentij Medicis filio, Angelum nescio quem Politianum, ipsius magistrum pueri. Quem aiebant nonnulli haud omnino indoctissimum haberi hominem, eumq; apud te, capta ex tempore audacia, de antiquis vrbis operibus, ac substructionibus aliquandiu fabulari. Ille ego sum scilicet, eademque absenti vel fiducia erga te, vel audacia superest, quæ tunc haud defuerat præsenti. Sed eam tamen nihil est cur mihi quisquam vitio vertat, scilicet quæ ex humanitatis tuæ notitia, quam ex magnitudinis ignorantia proficiscatur. Roges quid sibi hæc querat litteræ. Nempe aliud nihil, nisi vt mei apud te memoriam renouent, me esse hominem tibi deditissimum declarent, sperantem maxime in tuo patrocínio, daturumq; operam (si res ferat) vt animum tibi meum, fidem, voluntatēque aliquando probem. Orarem autem (nisi improbum est) vt si qua de nobis mentio apud summum Pontificem oriatur (orituram scio cum tu voles) ostendas me illi esse hominem non ingratum. Facile enim intelligo, quantum tua apud illum valitura sit auctoritas: quoniam quantum iure valere debeat, non ignoro. Vale. Florentiæ. M. CCCG LXXXV.

ANGELVS POLITIANVS FRANCISCO

Piccolonineo Cardinali Senensi s. d.

ET SI scio pater amplissime, ita me tuæ debere humanitati, quam, cum istic essem, egregiam mihi, singularēq; præstitisti, vt ei nullis officijs, nulla opera, labore,

industriaq; mea posse videri satisfacere: tamen cogitās
 nihil tam ingrati esse animi, quā dissimulare quod de-
 beas, cum persolvere nequeas, decreui aliquid ad te li-
 terarum dare, quibus meum sensum aduersum te, consci-
 tiamq; testarer. Ego si mihi tecum dandæ, referendæq;
 gratiæ certamen instaret, continuo scilicet manus dedis-
 sem tibi, utpote cuius etiam in ædibus ipsa habitāt Gra-
 tiæ. Sed quoniam maior tu es, quā quod nostri aspirare
 conatus queant, velut imaginarijs te quibusdam officijs
 pro re, pro copia remuneramur, bene videlicet sen-
 tiendo, loquendoque de te, fauendo tibi, omniāque bo-
 na cupiendo. Quod si officia officijs duntaxat, ac non
 voluntate potius, animoque pensantur, fateor solu-
 do non sum: sin (ut Cicero putat) etiā cum habetur gra-
 tia, in eo ipso quod habetur, refertur, non vereor quin
 sim quæ debeo, saltem animo ipso persoluturus. Qui
 quoniam tibi totus humanitatis tuæ merito debetur, to-
 tum iam nunc eum tibi addico, ea lege, ut nunquam ma-
 numittatur. Nos ad historiam de Romanis principibus
 conscribendam magno spiritu, atque animo adgressi su-
 mus. Et quamuis orā nuperrime soluerimus, paulumque
 adhuc à portu promouerimus, tamen ferentē nacti ven-
 tum æquo pede prouchinur. Neque dubitamus, quin
 prospero Innocentij fauente numine, cuius ab auspicio
 proficiscimur, perpetuò nobis. Alcedonia futura sint.
 Te verò obsecro, ut siquādo apud eius sanctitatem no-
 stri inciderit mentio (inciderit autem quoties tu voles)
 hisce me, si videtur, commendes verbis: Angelus hic Po-
 litianus neque malus homo est, neque planè indoctus.
 Tibi verò sancte pater ita studet, ut non sit fortasse in-
 dignus, quem tu aliquādo respicias. Hoc satis est ipsi, ce-
 teramādo Deo. Antonij autem Lollij familiaris tui ora-
 tionem

Ant. Lol-
lius.

tionem illam aureolam de circūcissione legi nuper iterū,
atq; iterū: quā magis legi, tā magis placuit. Græcū au-
tē est verbum: Ter pulcrū esse, quod ter lectum placeat.
Commendarem tibi eum hominem, nisi absurdū præpo-
sterumq; videretur commendari à nobis illum tibi, quem
ita habes carum, vt tibi me ab ipso vehementer cupiam
commendari. Vale. M.CCCC.LXXXV.

FRANCISCVS PICCOLOMINEVS,
Cardinalis Senensis, Angelo Politiano s. d.

CONCEPERAMVS eam de Politiano opinionem
vt augeri illam posse minime putaremus, ad summum,
enim peruenerat, auxit tamē suis & ornatissimis, & gra-
uissimis litteris, & ita auxit, vt nos, qui rebamur antē
de ipso omnia concepisse, ne attigisse quidem quanti va-
leat, videremur. Laudamus ingenij tui dexteritatē, con-
cinnitate delectamur, miramur grauitatem, Sed hæc om-
nia silentio potius, quā infirmo sermone obeunda sunt.
Nec putes in eorum nos esse numero, qui sub capite cō-
sunt puluinaria. Amor enim verus adulari non nouit.
Testis deus, testis conscientia nostra. Quod autem de
Romanis principibus, aggressus es opus, erit puto abso-
lutum, quia tuum erit: expectamus vltimam eius manum,
quam fore non dubitamus consummatissimam: Nos quia
virtuti debemus, tibi debemus, cui & opera, & indu-
stria nunquam deerimus. Romæ, VII. Idus Aprilis, M.
CCCC.LXXXV.

ANG. POLIT. ANTONIOTTO
gentili Cardinali sanctę Anastasie s. d.

PARVVM quidē tuo nomini libellū dedico, sed (vt
spero) nec inanem rerū, nec inopē. Multa & remota le-
ctio, multa illū formauit opera. Titulum Nutritia dixi Nutritia
mus, qua figura et Statius Soteria. Plenior hic enim mihi
P 5 visus,

visus, & argumento coheretior, quàm qui olim placue-
rat, Nutrix. Tu verò electus potissimum, in cuius appa-
reat nomine, nō quorē tantillā tantæ virtuti fortunæq;
cōuenire arbitrer, aut hoc esse deniq; putem, quod tuis
erga me meritis debeatur: verum cum prodire nolle in
publicum liber sine patrocinio, tū præcipuē sibi nomen
inscripsit, ex quo tutior foret atq; honestior. Quare su-
scipe quæso, quidquid hoc est mei fetus, qua me quoque
ipsum soles humanitate. Deinceps autē plura, melioraq;
forsitan accipies, modò hunc primum quasi gustum non
asperneris. Nec enim vel ignoro, vel disimulo quantum
tua mihi apud Innocentiū Pontificem Maximum suffra-
gata sit auctoritas. Cui quidē et ipsi quotidie à me, si nō
par gratia, certē aliqua tamē pro virili parte scribendo
saltē, beneq; & sentiendo, & loquendo refertur. Vale.
Florentiæ, VI. Kalend. Iunias. M. CCCCLXXXI.

ANG. POLIT. FRANCISCO EPISCOPO
Cephaledensi Hispano S. D.

NON caussam dico, neque absolui me postulo, quin
ipse mihi nigrum appono calculum, quod me tibi scri-
pturum aliquando pollicitus fidem quā ad mensam, etiā
hospitalem dederam, non præstiterim. Ipsum tibi igitur
memet noxæ dedo. Abduc, vinci, quasq; est commodum
pœnas irroga. Sed quid agas? Non ego scilicet ex inge-
nio emigraui meo, sum quippe homo omnium hominum
ad scribendas epistolas pigerrimus, diem ex die ducens,
ac procrastinator mirificus: præsertim si cū eis res ami-
cis est, quorum mihi sit & humanitas cognita, & explo-
rata facilitas. Tute igitur accusandus, qui ita me istic hu-
mane habueris, ut omnium, quæ factururus essem, veniam
mihi, & impunitatem pollicerer. Sed non erit profecto
cur mihi in posterum succenseas. Nam ita crebras litte-
ras

rus misiculabo, ut eas propediem aut ne lecturus quidem sis, aut mihi silentium imperaturus. De Græco autem adulescente haud sanè satis ex sententia res cecidit. Illis enim ipsis, quibus Romæ eramus, diebus, aliū sibi patronū optauerat. Nos tamen haudquaquam destitimus, propter eos quorum consilio fretus est, hominem illinc potioris spe conditionis electare. Sed vereor, ne si ad nos defecerit, tamen dies præuertatur, qua tibi in Siciliam ad tua procuranda negotia sit abeundum. Laurentius Medices noster magnopere his diebus ex intestinorum doloribus laborauit, qui nunc ut planè liberatus est, ita non planè recreatus. De te verò apud illum statim ut huc peruenimus, multum sumus diligentissimè locuti: speramusque nos illius in te amoris, et si erat antea quoque maximus, nonnihil tamen addidisse cumuli, tuis in nos officijs exponendis. Vale. Florētiae. M. CCCCLXXXV.

ANGELVS POLITIANVS

episcopo Siluensi s. d.

ET doctrina quædam non vulgaris, cuius mihi haud dubium specimen, et singularis quædam humanitas, cuius omnes impleuisti aduersum me numeros, exigere quasi suo iure aliquid à nobis videntur litterarum, quæ nostri apud te memoriam foucant, nec tam planè refrigerescere patiantur. Nostra autem cautio esse debet, ne diutius quàm par est, hominem scilicet occupatissimum teneamus. Itaque rem ipsam in pauca conferemus. Ego me præstantissimo domino Cardinali Olisipponensi, germano tuo, viro excellentis ingenij, doctrinæ, atque humanitatis, tantum debere intellego, quantum nunquàm sim persoluturus, etiam si me opposuerim pignori, aut si bonorum omnium meorum, atque adeò ipsius capitis fecerim auctionem. Quare aut decidam cum ipso oportet

tet, aut certè addicar. Atq; ego quidè addici mào, vt il-
lius mihi periculo viuendum sit, non meo. Sed heus tu,
agas cū eo tamente rogo, vti de nobis apud pontificem
(vbi occasio tulerit) ita aliquā faciat mentionem, vt in-
tellegat eius sanctitas, nos etiam tanti viri iudicio nō im-
probari. Neque tu autem absurdum, ineptumq; putave-
ris, si quò magis debemus, magis etiā debere nos postu-
lamus. Nos hic videlicet debitoribus, cū sint maximè
obruiti ære alieno, tum pecuniis maximè mutuantur. Sed
hæc hæcenus. Nequeo autem quin obiter commendem
Phædrum nostrum, hominem candidissimiq; animi, ele-
gantissimiq; ingenij, tibi que in primis deditum. Scis cum
minimè dubitare, quin aliquando hortatu, impulsūque
tuo abduci Cardinalis tuus possit, vt cum pontifice de
horologio illo aliquid explicetur. Quæ ne spes cum fru-
stra habeat (siqua modò copia sit) etiam, atque etiam te
rogo. Vale.

ANG. POLIT. IOANNI PETRO

Arriuabeno Vrbinati episcopo.

ET SI nunquā dubiū fuerat, quin tibi omni laude præ-
stati viro, nulli nō honores iā pridè, dignitatesq; debe-
rentur: tamen posteaquā auditū est præsulè te esse Vr-
binatè factū, tanta vniuersi quidè, sed præcipuè qui li-
terarū sacra veneramur, affecti letitia sumus, vt in expe-
ctatū propè, nec spe vlla, quasi dixerim, præcōrectatū
cōtigisse hoc nobis gaudiū videatur. Etenim cū time-
re iam inciperemus, quicūque tibi inuicem studemus, ne
qui dilatus à fortuna fueras, etiā planè præteritus fuisset:
quo grauior ille fuerat, atq; indignior metus, eò nūc
& maior letitia, & iustior, postquā is euauuit, obor-
ta est. Ad hanc autem quasi publicā tanti gaudij priua-
ta etiam mihi, & peculiaris accedit causa, quòd eum
pro-

prouehi ad ingentes titulos aspicio virum, cuius mihi
 & auctoritas, & humanitas durissimis etiam meis tēpo-
 ribus ita suffragata est, ut tantum crescere spes mea, &
 fiducia, quantum tua vel fortuna, vel dignitas meritò de-
 beat. Quapropter in hac animi mei præcipua quadam
 voluptate, præcipuam quoque gratulandi rationem de-
 siderarem, nisi tecum mihi, hoc est, cum homine peritis-
 simo res esset: cuius insignis prudētia (sicuti credimus)
 quasi Lynceis oculis in ipsa quoque hominum præcor-
 dia introspiciat. Illud autem neutiquam commiserim, vi-
 deri mihi Innocētium Pontificē maximum ceu via qua-
 dam regia, ad immortalem gloriam contendere, qui vi-
 ros augeat honoribus & eruditos, & graues, nec de-
 litescere sub modio (quod dicitur) præclarum virtutis
 lumen patiatur. Nam ut omittā ceteros, inque his Her-
 molaum Barbarum meum, quem tanto studio Pontifex
 ornandum sibi prius, mox autem tuendum quoque, de-
 fendendūque suscepit: etiam nuper Hieronymum ip-
 sum Balbanum audio præstantem doctrina, & moribus
 hominem tecum pariter præsulem esse factum, quò no-
 bis excellentis huius letitiæ, ac voluptatis ingens hinc
 etiam quasi cumulus accederet. Cui tu quidem velim (si
 pateris) meo quoque nomine gratuleris. Vale.

ANGELVS POLITIANVS

Leonello episcopo Concordienſi s. d.

FRANCISCVS Soderinus Volaterranus pontifex
 epistolam nuper mihi ad ipsum tuam super Miscellaneis
 nostris ostēdit, in qua certare dubia palma inter se do-
 ctina mihi, & humanitas videbātur. Ac doctrinā qui-
 dem nō modò ipse stylus exhibebat elegans, ornatus, &
 grauis: sed illa etiā multò magis, quæ mihi abs te de au-
 ctore Stromateō Clemēte obijciebātur. Humanitatis au-

tem

tem certissima illa visa sunt indicia, quod vir & aucto-
 ritatis maxime, & sortis amplissima, multisq; , & ma-
 gnis agendis rebus occupatus etiā nonnihil ad te perti-
 nere putasti, quid ego in meis aliquando libris tenui for-
 tuna homuncio retulissem. Mitto autem quā benigne,
 quā blandē, quā verecundē, quā amanter, quā len-
 tē etiā, & cunctanter erratum illud, ita enim videbatur,
 nostrum protulisti. Quā multis me prius laudibus, etiā
 si eloquentius longē, quā verius adobruisti. Mitto
 quod & Soderinum delegisti, qui mihi rem potissimum
 significaret: quo viro nec grauior, nec prudentior, nec
 item humanior, sed nec mihi amicior quisquā deligi po-
 tuit: vt si me litteræ illæ tuæ offendere aliqua ratione
 potuissent, hac vnā tantum potuerint, quod nimium soli-
 citus videbaris, nec aliorum fortasse acciperem, quod
 obieceras. Ego mi Leonelle, non modō in ijs, quæ hacte-
 nus edidi, sed & quæ scribere deinceps conor, omnibus
 hoc testatum volo, nihil mihi esse prius veri studio, &
 recti. Si sponte hoc assequor, bene habet: sin minus, at ab
 alijs & placidē admoneri gaudeo, & asperē castigari
 nō recuso. Quā vt illis habeo gratiam, sic istis non ira-
 scor: honestius ducens aliquando doceri, quā semper
 nescire: nō enim tā turpe repelli, quā pulcrum corrigi.
 Quod autē ad Clementē attinet, artificis librarij vitium,
 non auctoris est. Is in exēplaribus nostris quædam malē
 (vt sit) aut inducta, aut deleta repererat, eaq; tamē pro
 rectis, ac legitimis inconsultō excudit. Ita necesse habui
 curare protinus, vt errata ipsius omnia, nisi quæ rele-
 gentē fefellerāt, primis ibidē paginis imprimerentur. In
 eas tu fortasse paginas nondū incideras, eum locū nota-
 sti: quas tamen se ait ē vestigio misisse ad te Volaterra-
 nus pontifex, etiā antē, quā tuas mihi litteras ostēde-
 ret,

ret. Ibi igitur primo statim capite correctum hoc à nobis erratum reperies. Nec verò ullis opus est ad hanc rem, vel Eusebii vel Hieronymis. Ipsos enim & legimus Græcos, & excerpimus octo Alexandrini Clementis libros, qui *συναγῆς* appellantur. In quæis alterius etià Clementis (quod vere ais) Romani pontificis eadem testimonia citantur. Reliquū est, ut agam tibi gratias. Ago igitur quā possum maximas, ut tibi me deditissimum profitear, profiteor, & quidem ex animo. Sed & rogo te etiam, atque etiam adhuc, ut si quis locus apud te vacat, numeres me quoque inter tui studiosos. Postremò quoniam verbis honorificētissimis in tua epistola Cardinalis Alexandrini fecisti mentionem, cuius sæpè mecum de litteris & vita Ioannes Picus Mirandula meus diuinè loqui solet, eime quoque (si fas est) velim des aliquo pacto in clientelam. Vale.

ANGELVS POLITIANVS

Paulo Cortesio suo s. d.

REMITTO epistolas diligentia tua collectas, in quibus legēdis (ut liberè dicā) pudet bonas horas malè collocasse. Nam præter omnino paucas, minimè dignæ sunt, quæ vel à docto aliquo lectæ, vel à te collectæ dicantur. Quas probè, quas rursus improbè, nō explico. Nolo si tibi quisquā vel placeat in his auctore me, vel displiceat. Est in quo tamen à te dissentiam de stylo nonnihil. Non enim probare soles (ut accepi) nisi qui linimenta Ciceronis effingat. Mihi verò longè honestior tauri facies, aut item leonis, quā simiæ videtur, quæ tamen homini similior est. Nec ij, qui principatum tenuisse creduntur eloquētiæ, similes inter se, quod Seneca prodidit. Ridentur à Quintiliano, qui se germanos Ciceronis putabāt esse, quod his verbis periodū clauderent, esse videatur.

Imitatores repro-
bantur.

Inclaus

Inclamat Horatius imitatores, ac nihil aliud quàm imitatores. Mihi certe quicumque tantum componunt ex imitatione, similes esse vel psitaco, vel picæ videntur, proferentibus quæ nec intellegunt. Carent enim quæ scribunt isti viribus et vita: carent actu, carent affectu, carèt indole, iacent, dormiunt, stertunt. Nihil enim verum, nihil solidum, nihil efficax. Non exprimis (inquit aliquis) Ciceronem. Quid tunc? Non enim sum Cicero, me tamē (ut opinor) exprimo. Sunt quidā præterea mi Paule, qui stylum quasi panem frustillatim mendicant, nec ex die solum viuunt, sed et in diem: tum nisi liber ille præsto sit, ex quo quid excerpant, colligere tria verba non possunt, sed hæc ipsa quoque, vel indocta iunctura, vel barbaria inhonesta contaminant. Horum semper igitur oratio tremula, vacillans, infirma, videlicet malè curata, malè pasta, quos ferre profectò non possum: iudicare quoque de doctis impudenter audentes, hoc est, de illis quorum stylum recondita eruditio, multiplex lectio, longissimus usus diu quasi fermentauit. Sed ut ad te redeam Paule, quæ penitus amo, cui multum debeo, cuius ingenio plurimum tribuo: queso ne superstitione ista te alliges, ut nihil deleat, quod tuum plane sit, et ut oculos à Cicerone nunquam deicias. Sed cum Ciceronē, cum bonos alios multum, diuque legeris, contriueris, edidiceris, concoxeris, et rerum multarum cognitione pectus impleueris, ac iam componere aliquid ipse parabis: tum demum velim (quod dicitur) sine cortice nates, atque ipse tibi sis aliquando in consilio, solitudinemque illam morosam nimis, et anxiam deponas effingendi tantummodo Ciceronem, tuasque denique vires vniuersas pericliteris. Nam qui tantum ridicula ista, quæ vocatis linamenta, contemplantur attoniti, nec illa ipsa (mihi crede) satis representant, et impetum quodam

admodò retardant ingenij sui : currentiq; velut obstac-
 & (vt vtat Plautino verbo) remoram faciunt. Sed vt be-
 ne currere non potest, qui pedem ponere studet in alienis
 tantum vestigijs : ita nec bene scribere, qui tanquã
 de præscripto non audet egredi. Postremò scias infelicitis
 esse ingenij, nihil à se promere, semper imitari. Vale.

PAVLVS CORTESIVS

Angelo Politiano suo. s. d.

NIHIL vnquam mihi tam præter opinionem meã
 accidit, quàm redditus à te liber epistolarum nostrarũ.
 Putabam enim illum tibi in tantis occupationibus exci-
 disse. Nunc autem lectis tuis litteris, video illum non
 modò à te gustatum, sed etiam planè deuoratum: quum
 & scripseris puduisse te in eo legendo bonas horas
 malè collocasse & eas ipsas minime tibi dignas videri.
 quæ vel ab aliquo docto lectæ, vel à me collectæ fuisse
 dicantur, præter nescio quas hominum perpaucorum.
 Ego autem totum istud tibi remitto, nec planè iudici-
 um meum interponam, cum nefas sit quodammodo à te
 dissentire: & ego is sim, qui de altero iudicium face-
 re (vt ait Marcus Tullius) nec velim si possum, nec pos-
 sim si velim. Sed veniam ad illud, in quo te dicis à me
 quàm maximè dissentire. Scribis enim te accepisse me
 neminem probare, nisi qui liniamenta Ciceronis conse-
 ctari videantur. Ego verò quantum repetere memoria
 possum, nec istud recordor vnquam dixisse, nec dictum
 volo. Quæ enim stultitia esset, vt cum tam varia sint ho-
 minum ingenia, tam multiplices naturæ, tam diuersæ in-
 ter se volūtates, eas velle vnius ingenij angustijs astrin-
 gi, & tanquã præfiniri? Sed quoniam me in hanc dispu-
 tationē vocas, nō erit fortasse alienū tempus purgandi
 iudicij nostri, & tuēdi mei cū planè cognoscā verba tua

Q

esse

esse suasoris, non laceffentis. Et primum de iudicio libe-
 ter fatebor, cum viderem eloquentiæ studia tandiu de-
 ferta iacuisse, & sublatum vsum forensem, & quasi na-
 tiuam quandam vocem deesse hominibus nostris, me se-
 pe palam affirmasse, nihil his tēporibus ornatē, varieg-
 dici posse, nisi ab his qui aliquem sibi præponerent ad
 imitandum: cum & peregrini expertes sermonis, alienas
 regiones malē possint sine duce peragere, & anniculi
 infantes non nisi in curriculo, aut nutrice præeunte in-
 ambulent. Cum autem multi in omni eloquentiæ genere
 floruerint, memini me vnum Marcum Tullium ex docto-
 rum acie abduxisse, in quem omnium ingeniosorum ho-
 minū studia conferenda putarem. Non quod ignorarem
 multos dicendi gloria præstitisse, qui & acuerē indu-
 striam, & multis oratorijs virtutibus alere ingenia pos-
 sent: sed & quia videbam hunc vnum omnium seculorū
 consensu principem esse iudicatum, & quia à puero di-
 diceram in omni numero semper optimum esse eligen-
 dum: corrupti stomachi, & intemperantis, ægri esse pu-
 tabam, deteriorem cibum seligere, salutarem, & optimū
 aspernari. Ausim nunc etiam affirmare idem, quod sepe,
 neminem post Marcum Tullium in scribendo laudem
 consecutum, præter vnum, aut alterum, qui non sit ab eo
 educatus, & tanquam lactis nutrimento educatus. Sed
 erat tum quædam certa imitandi ratio, qua & fastidio
 similitudinis occurrebatur, & nitidum illud genus hila-
 ritate quadam aspersa condiebatur: nunc autem illa ab
 hominibus nostris aut neglecta est, aut ignorata. Simile
 volo mi Politiane, non vt simiam hominis, sed vt filium
 parentis. illa enim ridicula imitatrix tantum deformita-
 tes, & vitia corporis deprauata similitudine effingit:
 hic autē vultum, incessum, statum, motum, formam, vo-
 cem,

M.T. Ci-
 cero præ
 ceteris
 imitan-
 dus.

eem deniq; & figurā corporis representat : & tamen
 habet in hac similitudine aliquid suū, aliquid naturale,
 aliquid diuersum, ita vt cum cōparentur, dissimiles in-
 ter se esse videantur. Dicam idem iterum habere hoc dē
 lucidam illam diuini hominis in dicendo copiam, vt exi-
 stimanti se imitabilem præbeat, experienti spem imita-
 tionis eripiat. Fit enim vndiq; ad eū concursus, & quis-
 que arbitratur illo modo se posse dicere. Homines enim
 natura suauitatis auidiores, difficillimā rem voluntate,
 non facultate metiuntur. Itaq; dum abundantiā sermonis,
 & (vt ipsi aiunt) facilitatem imitantur, neruos, & acu-
 leos deferunt, & tū à Cicerone absunt longissimē. Nec
 autem refert alieno ornatu, & quibusdam luminibus, ac
 quasi insignibus nostra scripta explere, nisi queamus id
 distinctē, apteq; facere. Fit enim nescio quid monstro-
 sum, cum membra coherentia malè dissipantur. Quare
 (vt de me loquar) nihil est Politiane, quod me à Cice-
 ronis imitatione deterreas. sed quod potius obiurges in-
 scitiam, quod nequeam bene illū imitari: quanquam ego
 malo esse assecla, & simia Ciceronis, quam alumnus, aut
 filius aliorū. Sed permagni interest vtrū quis videatur
 quenquā velle imitari, aut neminē. Ego autē statuo non
 modò in eloquentia, sed in alijs etiam artibus necessariā
 esse imitationē. Nam & omnis doctrina ex anteceddēti
 cognitione paratur, et nihil est in mēte, quin fuerit pri-
 us in sensibus perceptum. Ex quo intelligitur omnē artem Ars imitatio
 naturæ esse imitationē, sed natura fieri, vt ex eodē ge- tio natu-
 nere dissimilitudo nascatur. Homines enim cum inter se rz.
 dissimiles sint, similitudine cōiungūtur: & quanquā alijs
 coloratiores, alijs pallidiores, alijs venustiores, alijs proce-
 riores sint, vna tamē est omnibus figura, & forma. illos
 autem quibus aut crur, aut manus, aut brachia desunt, nō

omnino ex hominum genere excludendos, sed aut man-
 cos, aut claudos appellandos putarē. Sic eloquētia vna
 est ars, vna forma, vna imago. Qui verò ab ea declināt,
 sēpē distorti, sēpē claudi reperiuntur. Aspice nunc eos
 homines qui sibi elegerunt Marcum Tullium imitandū,
 quantum ab eo distent, quantū etiam inter se dissimiles
 sint. Profluentem quandam sine modestia vbertatem Li-
 uius arripuit, acumen Quintilianus, sonum Lactantius,
 lenitatē Curtius, elegantia Columella: quorum cum es-
 set vnum propē imitandi propositum: nihil est tā dissimi-
 le, quā ipsi inter se, nihil tam distans (si comparentur)
 quā ipsi à Cicerone. Ex quo intelligitur maximē, &
 cū iudicio ponderandā esse imitationē, & cum ipsum ho-
 minem mirabilem fuisse, ex quo tam diuersa ingenia, tan-
 quā ex perenni quodā fonte defluerint. Omnino Po-
 litiane certis auctoribus insistendū est, quibus ingenia for-
 mentur, & tanquā alantur. Relinquant enim in animis
 semina, quæ in posterum per seipsa coalescunt. Qui au-
 tē neminem imitari, & sine cuiusquā similitudine laudē
 consequi videri volunt, nihil (mihi crede) roboris, aut
 virum in scribendo præ se ferunt: & illi ipsi, qui se niti
 dicunt ingenij sui præsidij, & viribus, facere non pos-
 sunt, quin ex aliorum scriptis eruāt sensus, & infarciāt
 suis, ex quo nascitur maximē vitiosum scribendi genus,
 cum modo sordidi, & inculti, modo splendidi, & floren-
 tes appareant: & sic in toto genere, tanquā in vnū agrū
 plura inter se inimicissima sparsa semina. Fieri enim non
 potest, quin varia ciborum genera malē concoquantur,
 & quæ ex tanta colluione dissimilimi generis inter se
 verba collidantur. Nec minus huius corruptæ oratio-
 nis asper concursus aures ferit, quā ruentium lapi-
 dum fragor, aut strepitus, aut quadrigæ transcurrentes.

Quid

Quid enim voluptatis afferre possunt ambigua vocabulorum significationes, verba transversa, abrupta sententiae, structura salebrosa, audax translatio, nec felix, ac intercisi de industria numeri? Quod necesse est his omnibus accidere, qui ex singulis sensus, et verba eruunt, & neminem imitantur! Horum sane omnis oratio est tanquam Hebraeorum domus, quibus sunt ad quoddam tempus diuersorum hominum bona oppignerata. Nam ibi et lacernae, & amictus, & penulae, & multorum saepe palia suspensa internoscuntur. Ego autem tantum interesse puto inter eum, qui neminem imitatur, & qui certum ducem cōsektatur, quātum inter eum, qui temere vagatur, & qui rectā profisciscatur. Ille deuius inter spinas volutatur, hic autem ex proposito itinere ad constitutum locū sine lapsu, & molestia contendit. Præterea Politiane sic habe, neminem eloquentiae laudē consecutū, qui non sit in aliquo imitationis genere versatus. Apud Græcos non modò oratores Demosthenes, Hyperides, Lycurgus, Aeschines, & Demarchus: sed etiam illi philosophi, virtutum magistri, alicuius imitatores esse voluerunt. De nostris hoc loco taceo, ne videar tibi vni omnium doctissimo quasi scholam quandam explicare. Nec item aliquid de Marco Tullio dicendum puto, exploratum est iam illud omnibus, ut qui se ad Marcū Tullium effingendum contulerit, si minus aliquam imitandī gloriam assequatur, in eo tamen ornetur, quod illum si bi elegerit exprimendum: ut illud fuisse naturae, & ingenij videri possit, hoc iudicij. Vale.

ANGELVS POLITIANVS

Baptistæ Mantuano theologo Car-

melitæ suo

S. D.

Q 3

Nec

NEC dubito quin amer abs te, nec exigo, quod sit incommodum, sed nec officio litterarum metior amicos: quippe quod & ab inimicis præstari solet. Gratulatione tua, quod philosophiæ sim deditus, ipse mihi medius fidius ita gratulor, daturus ut operam sim, quod possis in dies magis merito mihi gratulari. Sed adolescens hic tuus consilio nostro si fuisset usus, magis fortasse suis rationibus consulisset. Nunc quoniam consilio noluit (ni frustra augurium) credo nec opera iam volet uti. Verum tamen ei cupio scribas, ut à me expectet omnia, tui quidem causa. Nihil enim molestius, quam fuisse hunc mihi abs te frustra commendatum. Vale.

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM

LIBER NONVS.

NVS.

ANGELVS POLITIANVS

Matthiæ Dei gratia inuictissimo

Pannoniæ regi s. d.



VM superioribus diebus ego, & Philippus Valor Florentinus, præstas vir, tuæq; maiestati deditissimus, de nostri seculi principibus casu loqueremur: ac tu primus nobis inuicte rex, imò verò solus occurrisses, quæ videremur audas. Et cū quouis laudatissimo veterū posse conferre: celsigauit ille me verbis amicissimis, quod nunquam tibi aut lucubrationes vllas nominatim dicauerim, aut epistolam saltem scripserim, quo tibi si nō ingenium quoddamque, doctrinaq; mea, certè animus tamen, ac voluntas

tas